e-codices

salsis fructibus; propheta adversus Amalecita inhabitantium in ea. id est terra. vel propter malitiam eorum qui terram illam fructiferam id est domini tabernaculum subdolis mentibus habitare videbantur. ut propter malitiam suam quia Christum occiderunt. dicit propter. ut per. ponitur hic. Posuit desertum. id est ecclesiam in stagna aquarum. prebens in ecclesia baptismum. Gentiles vero qui aliquando fuerant deserti a deo per culturam demonum positi sunt in stagna aquarum. dum perceperunt aquam spiritus sancti. et abluuntur aqua baptismatis. Stagna siquidem a stando dicta sunt. et terra sine aqua. Terra enim sine aqua. incredula et arida significat corda gentilium. que rigata unda baptismatis. sancta predicatione floruerunt. Et collocavit illic esurientes. id est verbum dei. ut bonis celestibus reficerentur. Esurientes. philosophos de quibus supradictum est esurientes et sitientes collocavit illic. hoc est in fide sua. ut acciperent aquam spiritus sancti et baptismatis. Et constituerunt civitatem habitationis. Id est quia philosophi iam credentes constituerunt suis dogmatibus sanctam ecclesiam. in qua habitant Christi fideles. Et seminaverunt agros. et plantaverunt vineas. et fecerunt fructum nativitatis. id est originis ut crevit. Ad apostolos ista referuntur qui receperunt semen in corda credentium. de quibus fructum genitatis accipiant. hoc est centesimum. sexagesimum et tricesimum. Semen est verbum dei quod seminaverunt magistri. hoc est in cordibus hominum. Ager enim dictus est ab agendo. eo quod ibi diversa uictus causa agantur. Et plantaverunt vineas. conventicula quedam ad fidem trahentes. et fecerunt fructum nativitatis. id est fructum bonorum operum. Fructus a fruendo dicitur. videlicet qui spiritualem fructum faciunt. benedictione domini perfruuntur. Et benedixit eis. Benedixit deus credentes benedictione spirituali. et multiplicata est multitudo fidelium in electis. Iumenta quoque id est simplices homines fidei probitate pollentes non sunt minorata. sed creverunt in fide catholica. Explicita quippe vocatione ac redemptione gentium. redit ad depulsionem iudeorum dicens. Et pauci facti sunt. eo quod non fuissent in his multiplicata opera dei. Et vexati sunt a tribulatione malorum et dolorum. que in sortem iniqui perfecti sunt. Aliter. Et pauce facte sunt ad comparatione infidelium turbe credentium. Et vexati sunt. id est afflictione pessimorum a tribulatione. id est propter tribulationem quam patiebantur a malis et dolosis. Necesse est enim ut hos dolor et tribulatio subsequatur. qui auctorem salutis reliquisse noscuntur. Effusa est. id est emissa est contemptio super principes. Breviter sacerdotes hereticorum designati atque notati sunt. a quibus merito dicitur effusa contemptio. quia non salutari doctrina. sed tantum mortifera loquacitate contendunt. quippe qui scripturas divinas locis aliquibus suscipiunt. et per partem maxima contendendo derelinquunt. Exivit itaque contemptio uti principes hereticos. dum diversa senserunt de humanitate et divinitate Christi. Legitur et contemptio. id est despectio. sic in hebraica veritate habetur. beato Ieronimo ita exponente. Effusa est contemptio super principes eorum. id est iudeorum. ut qui dominum contempserant. ipsi quoque contemnerentur. Et errare fecit. id est permisit eos in invio. id est in errore. et non in via. scilicet que Christus est. Hos tales permisit deus errare. ut non sequerentur viam. id est Christum. sed in viam. id est infidelitatem. Denique deductis istis in invio videamus quid fecerit deus plebi sue. Et adiuvit pauperem. id est humiles catholicos de inopia. id est populum christianum dapibus satiavit eternis. Vel aliter. liberavit pauperem. id est populum gentilem de inopia vitiis delictis et ignorantie. Et posuit. id est constituit sicut oves. id est innocentes. familias. id est servos. Constituens eos in unitate ecclesie presentis et future. ut audientes vocem veri pastoris sequantur fidem. Videbunt recti. scilicet hoc et letabuntur. Videbunt recti beatitudinem et unitatem ecclesie posite in patria celesti. letabuntur annumerati in societate illorum. Et omnis iniquitas. id est diabolus cum suis complicibus oppilabit. id est claudet os suum. Et tunc omnis iniqui obmutescent. cum viderint eorum gaudium et suum supplicium. Quis sapiens. affirmando dicit hic quis. Omnis sapiens hec precepta custodire debet. ut confiteatur misericordias eius. et laudet eum in omni tempore. Et intelliget misericordias domini. scilicet quibus redemptus accepit cognitionem dei. Si enim sapienter consideres. aut spiritualiter intelligas. videbis in hoc psalmo misericordias quarto petitas. et clementer indultas quas et nobis pietate perflua digneatur que sentis indulgere. pulsantis aperire. petentibus non negare. ipsi gloria cum eterno patre et spiritu sancto in secula seculorum. AMEN.

Canticum semper refertur in sensum psalmus vero refertur in corporalia. Ut autem manifestius dicam canticum in theorica. id est contemplativa refertur. psalmus vero in practicen. hoc est in activa. Unde quia in titulo scriptum est canticum psalmi recte et consequenter in secundo versiculo ait. Cantabo et psallam in gloria mea. Paratum cor meum deus. paratum cor meum. Paratus sum non solum opere. sed etiam sensu et corde. paratum cor meum in sensu. paratum cor meum in opere. hoc est in practicen. quoniam non solum corde et sensu. sed et in opere paratus sum. propterea et secundo dico. Cantabo et psallam in gloria mea. Can

Lizenz: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 224 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/de/csg/0312/224)